

Spiritu sancto, 1 Cor. 3, 16: " Spiritus Dei habitat in vobis. „ Item non conveniret homini illi voces Divinitatis emittere, si personaliter Deus non esset. Praesumptuosissime ergo dixisset (Joan. 10, 30): " Ego et pater unum sumus: „ et (ibid. 8, 58): " Antequam Abram fieret, ego sum. „ *Ego* enim personam loquentis demonstrat: homo autem erat qui loquebatur. Est igitur persona eadem Dei et hominis. \* Ad hos ergo errores excludendos, in Symbolo tam Apostolorum, quam Patrum, facta mentione de persona Filii, subditur. " Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus, passus, mortuus et resurrexit. „ Non enim ea quae sunt hominis, de Filio Dei praedicarentur, nisi eadem esset persona Filii Dei et hominis: quia quae uni personae conveniunt, non ex hoc ipso de altera praedicantur; sicut quae conveniunt Paulo, non ex hoc ipso praedicantur de Petro.

## CAPUT CCIV.

*De errore Arii circa incarnationem, et improbatio ejus.*

Ut ergo unitatem Dei et hominis confiterentur quidam haeretici, in partem contrariam diverterunt, dicentes, Dei et hominis esse unam non solum personam, sed etiam naturam. Cujus quidem erroris principium fuit ab Ario, qui ut ea quae in Scripturis dicuntur de Christo, quibus ostenditur minor Patre, non nisi ad ipsum Dei Filium possent referri secundum assumptam naturam, posuit in Christo non aliam animam esse quam Dei Verbum, quod dixit corpori Christi fuisse pro anima: ut sic cum dicit (Joan. 14, 28): " Pater major me est, „ vel cum orasse legitur, aut tristatus, ad ipsam naturam Filii Dei sit referendum. Hoc autem posito, sequitur quod unio Filii Dei ad hominem facta sit non solum in persona, sed etiam in natura. Manifestum est enim quod ex anima et corpore constituitur unitas humanae naturae.

Et hujus quidem positionis falsitas quantum ad id quod Filium minorem Patre asserit, supra est declarata, cum ostendimus Filium Patri aequalem. Quantum vero ad id quod dicit, Verbum Dei in Christo fuisse pro anima, hujus erroris ex praemissis falsitas ostendi potest. Ostensum est enim supra animam corpori uniri ut formam: Deum autem impossibile est formam corporis esse, sicut supra ostensum est. Et ne forte Arius hoc diceret de summo Deo Patre intelligendum, idem et de Angelis ostendi potest, quod secundum naturam corpori non possunt uniri per modum formae, cum sint secundum naturam suam a

corporibus separati. Multo igitur minus Filius Dei, per quem facti sunt Angeli, ut etiam Arius confitetur, corporis forma esse non potest.

Praeterea. Filius Dei etiam si sit creatura, ut Arius mentitur, tamen secundum ipsum in beatitudine praecedit omnes spiritus creatos. Est autem tanta Angelorum beatitudo, quod tristitiam habere non possunt: non enim esset vera et plena felicitas, si aliquid eorum votis deficeret: est enim de ratione beatitudinis ut sit finale et perfectum bonum totaliter appetitum quietans. Multo igitur minus Dei Filius tristari potest aut timere secundum suam naturam. Legitur autem tristatus, cum dicitur (Marc. 14, 33), " Coepit Jesus pavere et taedere, et moestus esse: „ et ipse etiam suam tristitiam profitetur, dicens (ibid. 1, 34) " Tristis est anima mea usque ad mortem. „ Manifestum est autem tristitiam non esse corporis, sed alicujus apprehensivae substantiae. Oportet igitur praeter Verbum et corpus in Christo aliam fuisse substantiam quae tristitiam pati posset; et hanc dicimus animam.

Rursus. Si Christus propterea assumpsit quae nostra sunt, ut nos a peccatis mundaret; magis autem necessarium erat nobis mundari secundum animam, a qua origo peccati processerat, et quae est subjectum peccati: non igitur corpus assumpsit sine anima, sed quia principalius animam, et corpus cum anima.

## CAPUT CCV.

*De errore Appollinaris circa incarnationem, et improbatio ejus.*

Ex quo etiam excluditur error Appollinaris, qui primo quidem Arium secutus; in Cristo non aliam animam esse posuit quam Dei Verbum. Sed quia non sequebatur Arium in hoc quod Filium Dei diceret creaturam; multa autem dicuntur de Christo quae nec corpori attribui possunt, nec creatori convenire, ut tristitia timor et hujusmodi, coactus tamen fuit ponere quidem aliquam animam in Christo, quae corpus sensificaret, et quae harum passionum posset esse subjectum, quae tandem ratione et intellectu carebat: ipsum autem verbum homini Christo pro intellectu et ratione fuisse.

Hoc autem multipliciter falsum esse ostenditur. Primo quidem, quia hoc est contra naturae rationem ut anima non rationalis sit forma hominis, cum tamen formam corporis habeat. Nihil autem monstruosum et innaturale in Christi incarnatione fuisse putandum est. Secundo, quia fuisset contra incarnationis



finem, qui est reparatio humanae naturae: quae quidem principalius indiget<sup>1</sup> reparari quantum ad intellectivam partem, quae particeps peccati esse potest. Unde praecipue conveniens fuit ut intellectivam hominis partem assumeret. Dicitur etiam Christus admiratus fuisse: admirari autem non est nisi animae rationalis; Deo vero omnino convenire non potest. Sicut igitur tristitia cogit in Christo ponere animam sensitivam, sic admiratio cogit ponere in Christo partem animae intellectivam.

## CAPUT CCVI.

*De errore Eutychetis ponentis unionem in natura.*

Hos autem quantum ad aliquid Eutyches secutus est. Posuit enim unam naturam fuisse Dei et hominis post incarnationem: non tamen posuit quod Christo deesset vel anima vel intellectus, vel aliquid eorum quae ad integritatem spectant naturaet.

Sed et hujus opinionis falsitas manifeste apparet. Divina enim natura in se perfecta, et incommutabilis est. Natura enim quae in se perfecta est, cum altera non potest in unam naturam convenire, nisi vel ipsa convertatur in alteram, sicut cibus in cibatum; vel alterum convertatur in ipsum, sicut in ignem ligna; vel utrumque transmutetur in tertium, sicut elementa in corpus mixtum. Haec autem omnia removet divina immutabilitas. Non enim immutabile est neque quod in alterum convertitur, neque in quod alterum converti potest. Cum ergo natura divina in se sit perfecta, nullo modo potest esse quod simul cum aliqua natura in unam naturam conveniat.

Rursum. Si quis rerum ordinem consideret, additio majoris perfectionis variat naturae speciem: alterius enim speciei est quod est et vivit tantum, ut planta, quam quod est tantum. Quod autem est et vivit et sentit, ut animal, est alterius speciei quam quod est et vivit tantum, ut planta. Item quod est, vivit, sentit et intelligit, ut homo, est alterius speciei quam quod est, vivit et sentit tantum, ut animal brutum. Si igitur illa una natura quae ponitur esse Christi, supra haec omnia habuit quod divinum est, consequens est quod illa natura alterius fuerit speciei a natura humana; sicut natura humana a natura bruti animalis. Neque Christus igitur fuit homo ejusdem speciei: quod falsum esse ostenditur ex hoc quod ab hominibus secundum carnem progenitus fuit sicut Matthaeus ostendit in principio Evangelii sui dicens: "Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.,"

<sup>1</sup> Al. incipit.

## CAPUT CCVII.

*Contra errorem Manichaei dicentis, Christum non habuisse verum corpus, sed phantasticum.*

Sicut autem Photinus evacuavit Incarnationis mysterium, divinam naturam a Christo auferendo sic Manichaeus auferendo humanam. Quia enim ponebat totam creaturam corpoream a diabolo fuisse creatam, nec erat conveniens ut boni Dei Filius assumeret diaboli creaturam; ideo posuit Christum non habuisse veram carnem, sed phantasticam tantum; et omnia quae in Evangelio de Christo narrantur ad humanam naturam pertinentia, in phantasia, et non in veritate facta fuisse asserebat.

Haec autem positio manifeste sacrae Scripturae contradicit, quae Christum asserit de Virgine natum, circumcisum, esurisse, comedis et alia pertulisse quae pertinent ad humanae carnis naturam. Falsa igitur esset Evangeliorum scriptura, haec narrens de Christo.

Rursus ipse Christus de se dicit (Joan. 18, 37): "In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati." Non fuisset autem veritatis testis, sed magis falsitatis, si in se demonstrasset quod non erat: praesertim, cum praedixerit se passurum quae sine vera carne pati non potuisset, scilicet quod traderetur in manus hominum, quod conspueretur, flagellaretur, crucifigeretur. Dicere ergo, Christum veram carnem non habuisse, nec hujusmodi in veritate, sed solum in phantasia eum fuisse perpassum, est Christo imponere falsitatem.

Adhuc. Veram opinionem a cordibus hominum remove, est hominis fallacis. Christus autem hanc opinionem a cordibus discipulorum removet. Cum enim post resurrectionem discipulis apparuit qui eum spiritum vel phantasma esse existimabant, ad hujusmodi suspicionem de cordibus eorum tollendam, dixit (Luc. 24, 39): "Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere:" et in alio loco, cum supra mare ambularet, existimantibus eum discipulis esse phantasma, et ob hoc eis in timore constitutis, Dominus dixit (ibid. 36): "Ego sum, nolite timere." Si igitur haec opinio vera est, necesse est dicere Christum fuisse fallacem. Christus autem veritas est, ut ipse de se dicit. Haec igitur opinio est falsa.



## CAPUT CCVIII.

*Quod Christus verum corpus habuit, non de caelo, contra Valentinum.*

Valentinus autem etsi verum corpus Christum habuisse confiteretur, dicebat tamen eum carnem non assumpsisse de Virgine: sed attulisse corpus de caelo formatum, quod transivit per Virginem, nihil ex ea accipiens, sicut aqua transit per canalem.

Hoc etiam veritati Scripturae contradicit. Dicit enim Apostolus, Rom. 1, 3: "Qui factus est ei ex semine David secundum carnem:", et ad Gal. 4, 4, dicit: "Misit Deus Filium suum unigenitum factum ex muliere.", Matthaeus autem 1. 16, dicit: "Et Jacob genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus:", et postmodum eam ejus matrem nominat subdens: "Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph.", Haec autem vera non essent, si Christus de Virgine carnem non assumpsisset. Falsum est igitur quod corpus caeleste attulerit.

Sed quod Apostolus 1 ad Corint. 15, 47, dicit: "Secundus homo de caelo caelestis:", intelligendum est quod de caelo descendit secundum Divinitatem, non autem secundum substantiam corporis.

Adhuc. Nulla ratio esset quare corpus de caelo afferens Dei Filius, uterum Virginis introisset, si ex ea nil assumeret; sed magis videretur esse fictio quaedam, dum ex utero matris egrediens demonstraret se ab ea accepisse carnem quam non acceperat. Cum igitur omnis falsitas a Christo sit aliena, simpliciter confitendum est, quod Christus sic processit ex utero Virginis quod ex ea carnem accepit.

## CAPUT CCIX.

*Quae sit sententia fidei circa incarnationem.*

Ex praemissis igitur colligere possumus, quod in Christo secundum veritatem catholicae fidei fuit verum corpus nostrae naturae, vera anima rationalis, et simul cum hoc perfecta Deitas. Hae autem tres substantiae in unam personam conveniunt, non autem in unam naturam.

Ad cujus etiam veritatis expositionem aliqui per quasdam vias erroneas processerunt. Considerantes enim quidam, quod

omne quod advenit alicui post esse completum; accidentaliter ei adjungitur, ut homini vestis, posuerunt quod humanitas; accidentaliter unione fuerit in persona Filii Divinitati conjuncta; ita scilicet quod natura assumpta se haberet ad personam Filii Dei sicut vestis ad hominem. Ad cujus confirmationem inducebant quod Apostolus dicit ad Philip. (cap. 2, 7,) de Christo, quod "habitu inventus est ut homo." Rursus considerabant quod ex unione animae et corporis efficitur individuum quoddam rationalis naturae, quod nominatur persona. Si igitur anima in Christo fuisset corpori unita, videre non poterant<sup>1</sup> quin sequeretur quod ex tali unione constitueretur persona. Sequeretur ergo in Christo duas esse personas: scilicet personam assumptam, et personam assumptam: in homine enim induto non sunt duae personae, quia indumentum rationem personae non habet. Si autem vestis esset persona; sequeretur in homine vestito duas esse personas.

Ad hoc igitur excludendum, posuerunt quidam animam Christi unitam nunquam fuisse corpori, sed quod persona Filii Dei animam et corpus separatim assumpsit. Sed haec opinio dum unum inconveniens vitare nititur, incidit in majus. Sequitur enim ex necessitate, quod Christus non fuerit verus homo. Veritas enim humanae naturae requirit animae et corporis unionem: nam homo est qui ex utroque componitur. Sequeretur etiam quod Christi non fuerit vera caro, nec aliquid membrum ejus habuit veritatem. Remota enim anima non est oculus, aut manus, aut caro et os, nisi aequivoce, sicut pictus aut lapideus. Sequeretur etiam quod Christus vere mortuus non fuerit. Mors enim est privatio vitae. Manifestum est enim quod Divinitatis vita per mortem privari non potuit; corpus autem vivum esse non potuit, si ei anima conjuncta non fuit. Sequeretur etiam ulterius quod Christi corpus sentire non potuit: non enim sentit corpus nisi per animam sibi conjunctam. Adhuc autem haec opinio in errorem Nestorii relabatur, quem tamen declinare intendit. In hoc enim erravit Nestorius, quod posuit Verbum Dei homini Christo fuisse unitum secundum inhabitationem gratiae, ita quod Verbum Dei fuerit in illo homine sicut in templo suo. Nihil autem refert dicere, quantum ad propositum pertinet, quod Verbum est in homine sicut in templo, et quod natura humana Verbo adveniat ut vestimentum vestito: nisi quod in tantum haec opinio est deterior, quia Christum verum hominem confiteri non potest. Est igitur haec opinio non immerito condemnata. Adhuc autem homo vestitus non potest esse persona vestis aut indumenti, nec aliquo modo dici potest quod sit in specie indu-

<sup>1</sup> Forte vitari non poterat.



menti. Si igitur Filius Dei humanam naturam ut vestimentum assumpsit, nullo modo dici poterit persona humanae naturae, nec etiam dici poterit quod Filius Dei sit ejusdem speciei cum aliis hominibus; de quo tamen Apostolus dicit (Philip. 3, 7) quod est "in similitudinem hominum factus." Unde patet hanc opinionem esse totaliter evitandam.

## CAPUT CCX.

*Quod in ipso non sunt duo supposita.*

Alii vero praedicta inconvenientia vitare volentes, posuerunt quidem in Christo animam corpori fuisse unitam, et ex tali unione quemdam hominem constitutum fuisse, quem dicunt a Filio Dei in unitatem personae assumptum, ratione cujus assumptionis illum hominem dicunt esse Filium Dei, et Filium Dei dicunt esse illum hominem. Et quia assumptionem praedictam personae dicunt esse terminatam, confitentur quidem in Christo unam personam Dei et hominis; sed quia hic homo, quem ex anima et corpore constitutum dicunt, est quoddam suppositum vel hypostasis humanae naturae, ponunt in Christo duo supposita et duas hypostases; unum naturae humanae, creatum et temporale; aliud divinae naturae, increatum et aeternum. Haec autem positio licet ab errore Nestorii verbo tenus recedere videatur, tamen si quis eam interius perscrutetur, in idem cum Nestorio labitur.

Manifestum est enim quod persona nihil aliud est quam substantia individua rationalis naturae; humana autem natura rationalis est: unde et ex hoc ipso quod ponitur in Christo aliqua hypostasis vel suppositum naturae humanae temporale et creatum, ponitur etiam aliqua persona in Christo, temporalis creata: hoc enim est quod nomine suppositi vel hypostasis significatur, scilicet individua substantia. Ponentes ergo in Christo duo supposita vel duas hypostases, si quod dicunt, intelligunt, necesse habent ponere duas personas. Item. Quaecumque supposito differunt, ita se habent, quod ea quae sunt propria unius, alteri convenire non possunt. Si ergo non est idem suppositum Filius Dei et filius hominis, sequitur quod ea quae sunt filii hominis, non possunt attribui Filio Dei, nec e converso. Non ergo poterit dici Deus crucifixus, aut natus ex Virgine: quod est Nestorianae impietatis.

Si quis autem ad haec dicere velit, quod ea quae sunt hominis illius, Filio Dei attribuuntur, et e converso, propter unitatem personae, quamvis sint diversa supposita; hoc omnino stare non potest. Manifestum est enim quod suppositum aeter-

num Filii Dei non est aliud quam ipsa ejus persona. Quaecumque igitur dicuntur de Filio Dei ratione suae personae, dicerentur de ipso ratione sui suppositi. Sed ea quae sunt hominis non dicuntur de eo ratione suppositi: quia ponitur Filius Dei a filio hominis supposito differre. Neque igitur ratione personae de Filio Dei dici poterunt quae sunt propria filii hominis, ut nasci de Virgine, mori, et similia.

Adhuc. Si de supposito aliquo temporali Dei nomen praedicetur, hoc erit recens et novum. Sed omne quod recenter et de novo dicitur Deus, non est Deus, nisi quia factum est Deus. Quod autem est factum Deus, non est naturaliter Deus, sed per adoptionem solum. Sequitur ergo quod ille homo non fuerit vere et naturaliter Deus, sed solum per adoptionem: quod etiam ad errorem Nestorii pertinet.

## CAPUT CCXI.

*Quod in Christo est unum tantum suppositum et est una tantum persona.*

Sic igitur oportet dicere, quod in Christo non solum sit una persona Dei et hominis, sed etiam unum suppositum et una hypostasis; natura autem non una, sed duae.

Ad cujus evidentiam considerare oportet, quod haec nomina "persona, hypostasis et suppositum," integrum quoddam designant. Non enim potest dici quod manus aut caro aut quaecumque aliarum partium sit persona vel hypostasis aut suppositum; sed hoc totum, quod est hic homo. Ea vero nomina quae sunt communia individuis substantiarum et accidentium, ut "individuum et singulare," possunt et toti et partibus aptari. Nam partes cum accidentibus aliquid habent commune: scilicet quod non per se existunt, sed aliis insunt, licet secundum modum diversum. Potest igitur dici quod manus Socratis et Platonis est quoddam individuum, vel singulare quoddam, licet non sit hypostasis vel suppositum vel persona.

Est etiam considerandum ulterius, quod aliquorum conjunctio per se considerata, quandoque quidem facit aliquod integrum, quae in alio propter additionem alterius non constituit aliquod integrum: sicut in lapide commixtio quatuor elementorum facit aliquod integrum: unde illud quod est ex elementis constitutum, in lapide potest dici suppositum vel hypostasis, quod est hic lapis; non autem persona, quia non est hypostasis naturae rationalis. Compositio autem elementorum in animali non constituit aliquod integrum, sed constituit partem, scilicet corpus: quia necesse est aliquid aliud advenire ad completio-



tionem animalis, scilicet animam: unde compositio elementorum in animali non constituit suppositum vel hypostasim; sed hoc animal totum est hypostasis vel suppositum. Nec tamen propter hoc minus est efficax in animali elementorum compositio quam in lapide, sed multo amplius, quia est ordinata ad rem nobiliorem. Sic igitur in aliis hominibus unio animae et corporis constituit hypostasim et suppositum, quia nihil aliud est praeter haec duo. In Domino autem Jesu Christo praeter animam et corpus advenit tertia substantia, scilicet Divinitas. Non ergo est seorsum suppositum vel hypostasis, sicut nec persona, id quod est ex corpore et anima constitutum; sed suppositum, hypostasis vel persona est id quod constat ex tribus substantiis, corpore scilicet et anima et Divinitate: et sic in Christo sicut est una tantum persona, ita unum suppositum et una hypostasis. Alia autem ratione advenit anima corpori, et Divinitas utriusque. Nam anima advenit corpori ut forma ejus existens: unde his duobus constituitur una natura, quae dicitur humana natura. Divinitas autem non advenit animae et corpori per modum formae, neque per modum partis: hoc enim est contra rationem divinae perfectionis. Unde ex Divinitate et anima et corpore non constituitur una natura; sed ipsa natura divina in se ipsa integra et pura existens sibi quodam modo incomprehensibili et ineffabili humanam naturam ex anima et corpore constitutam assumpsit; quod ex infinita virtute ejus processit. Videmus enim quod quanto aliquod agens est majoris virtutis, tanto magis sibi applicat aliquod instrumentum ad aliquod opus perficiendum. Sicut igitur virtus divina propter sui infinitatem est infinita et incomprehensibilis; ita modus quo sibi univit humanam naturam Christus, quasi organum quoddam ad humanae salutis effectum, est nobis ineffabilis, et excedens omnem aliam unionem Dei ad creaturam. Et quia, sicut jam diximus, persona, hypostasis et suppositum designant aliquid integrum; si divina natura in Christo est ut pars, et non ut aliquid integrum, sicut anima in compositione hominis; una persona Christi non se teneret tantum ex parte naturae divinae, sed esset quoddam constitutum ex tribus, sicut et in homine persona, hypostasis et suppositum est quod ex anima et corpore constituitur. Sed quia divina natura est aliquid integrum, quod sibi assumpsit per quamdam ineffabilem unionem humanam naturam; persona se tenet ex parte divinae naturae, et similiter hypostasis et suppositum; anima vero et corpus trahuntur ad personalitatem personae divinae, ut sit persona Filii Dei, sicut etiam persona filii hominis et hypostasis et suppositum. Potest autem hujusmodi exemplum aliquale in creaturis inveniri. Subjectum enim et accidens non sic uniuntur ut ex eis aliquod tertium constituatur: unde subjectum in tali unione

non se habet ut pars, sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis et suppositum. Accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis et albi, et similiter eadem hypostasis et idem suppositum. Sic igitur secundum similitudinem quamdam persona, hypostasis et suppositum Filii Dei est persona, hypostasis et suppositum humanae naturae in Christo. Unde quidam propter hujusmodi similitudinem dicere praesumpserunt, quod humana natura in Christo degenerat in accidens, et quod accidentaliter Dei Filio uniretur, veritatem a similitudine non discernentes.

Patet igitur ex praemissis quod in Christo non est alia persona nisi aeterna, quae est persona Filii Dei; nec alia hypostasis aut suppositum: unde cum dicitur, Hic homo, demonstrato Christo, importatur suppositum aeternum. Nec tamen propter hoc aequivoce dicitur hoc nomen "homo," de Christo et de aliis hominibus. Aequivocatio enim non attenditur secundum diversitatem suppositionis, sed secundum diversitatem significationis. Nomen autem hominis attributum Petro et Christo idem significat, scilicet naturam humanam; sed non idem supponit; quia hic supponit suppositum aeternum Filii Dei, ibi autem suppositum creatum. Quia vero de unoquoque supposito alicujus naturae possunt dici ea quae competunt illi naturae cujus est suppositum; idem autem est suppositum in Christo humanae et divinae naturae, manifestum est quod de hoc supposito utriusque naturae, sive supponatur per nomen significans divinam naturam aut personam, sive humanam, possunt dici indifferenter et quae sunt divinae, et quae sunt humanae naturae; utputa, si dicamus, quod Filius Dei est aeternus, et quod Filius Dei est natus de Virgine: et similiter dicere possumus, quod hic homo est Deus, et creavit stellas, et est natus, mortuus et sepultus. Quod autem praedicatur de aliquo supposito, praedicatur de eo secundum aliquam formam vel materiam; sicut Socrates est albus secundum albedinem, et est rationalis secundum animam. Dictum est autem supra, quod in Christo sunt duae naturae et unum suppositum. Si ergo referatur ad suppositum, indifferenter sunt praedicanda de Christo humana et divina. Est tamen discernendum secundum quid utrumque dicatur: quia divina dicuntur de Christo secundum divinam naturam, humana vero secundum humanam.

## CAPUT CCXII.

*De his quae dicuntur in Christo unum vel multa.*

Quia igitur in Christo est una persona et duae naturae; ex horum convenientia considerandum est, quid in Christo unum